

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 24. (*Neovidensis* 1805. Nro 20.)

---

Secretum litterarum commercium vivos inter, ac mortuos.

*Lachesis salutem dicit calculorum Politicorum magistro.*

---

Elysium -- Meum -- Die Veneris 22. Mart. 1805. (Neov. 8. Mart.)

---

Sum una e numero Parcarum, quæ vitæ stamina mortalium pollice ducunt, eaque pro arbitrio abrumpunt. Antiqui certe Poëtæ huic inexorabili muneri nos præfecerunt; at mea opinione illi hoc melius magnis Heroibus, victoribusque commisissent. Hoc officium mihi semper risu dignum videbatur, quod ego, asseveranter dico, nunquam exercui; fabulosa de Diis doctrina mihi invitæ illud obtrusit.

Quare, cum tam fatali fungar munere, judico me omnibus politicorum calculorum magistris intima necessitudine junctam. Ad meum colum, & artem neadi pertinet pri-

num computatio mortuorum comparate ad neonatos , incrementum frequentiaë hominum, seu, ut dici amat, *Impopulationis*, ejusque diminutio, deinde autem ad vestrum calculum politicum. Lubet ex vetere Politico ratiocinatore adducere locum, quo demonstrem, nos Parcas neque ita crudeles, neque ita esse inhumanas, uti nos prisca Mythologia depingit. Sic autem sonat:

Homo jam quinque mille octingentis, & aliquot annis suæ sorti ingemiscit, & quidem gravibus de causis! Brevis ejus vita summum ex quadraginta tribus millionibus, nongentis viginti mille pulsibus arteriarum constat; pulcherrimam hujus temporis partem consumit in pueritia, quæ similis est somnio, alteram in senectute, in qua nec vivit, nec moritur; residuum in laboribus, morbis, tædio, verbo: in continua cum Medicis, Procuratoribus, vel Theologis contentione. Considera o homo! tuum vitæ decursum!

Constat, assumendo medium terminum proportionalem, hominem vivere annis circiter viginti quatuor. De quibus si tertia pars, quæ somno tribuitur, detrahatur, remanent sedecim. Si iterum una tertia infantia dicata subtrahatur, restant octo. Horum dimidium impenditur operis, infirmitatibus, cibo, & potioni, aliisque naturalibus omnis

generis casibus, ut adeo pro nostræ existentie cognitione, pro usu fructu oblectamentorum vitæ, quæ Poëtæ super astra efferunt, nonnisi quatuor supersint anni.

Hic calculus clarissime docet, quæ sit sors physici hominis. — Nasci, & aliquot momentis temporis existere.

Qui hanc propositionem in dubium vocaret, perpendat, quanta requirantur ad producendum, & conservandum hominem, & quam facili negotio ille intereat. Punctura acus suo loco facta, spina piscis, semuncia plumbi sexaginta annorum opus prostrernit puncto temporis. *Ut folia sylvarum*, ait Homerus, stantque, caduntque homines.

Si eorum utilitas non esset ad alios fines destinata, quid foret, philosophice loquendo, de politica computandi arte tenendum? Fieri nequiret, ut duos nobis proponamus viros, quorum alter semper conaretur homines producere, alter vero eosdem numeraret, qui, si in calculo convenirent, non solverentur in risum.

Profecto, mei Domini! quo majoribus viribus spiritualibus, quas animam dicimus, natura hominem instruxit, atque insecta, eo minus eidem concessit de aliis prærogativis, præsertim, quod propagationem humani generis concernit.

Qui sua amœna de arte impopulandi somnia nobis venditant, considerant naturam instar figuli in aëre libero, sed examinantne etiam diligenter, quam fragilia sint hæc vasa?

Qua magis versor in meditatione harum rerum, eo magis convincor de inanitate nostrorum conatum, eo clarius cognosco existentiam universalis illius, & mysteriorum pleni Agentis.

Video illum æque regnare in moralibus, atque physicis, audire mihi videor ejus vocem: Frustra laboratis in meam Oeconomiam penetrare. Vestra sors est, ut maneatis ignorantés, & me adoretis! Ubique observo idem æquilibrium, quod est fundamentum creationis. Exempli causa:

Emendamus artem medicam, promovemus commoda hominum multiplicando Pauperum instituta, erigimus valetudinaria publica, domos laboratorias, & innumeras facimus pias fundationes. — Ast incitamus eos ad scelera, & quod hinc sequitur, ad miserias per tolerantiam luxus.

Invenimus leges contra pestem, & rerum caritatem; illam proscripsimus, hanc exilio multavimus. Sed auximus numerum medicorum, procuratorum, conductorum, & imperitorum in omnibus artibus.

Omnibus nervis contendimus systema servitutis tollere, id est, civilem mancipatum eliminare, contra per immoderatam exercituum amplificationem inducimus severam in militia obedientiam.

Sermo est de abolendo in Ecclesia cœlibatu — nos autem favemus statui cœlibi, quod insulsa luxuriosæ vitæ principia retineamus.

Cupimus agriculturam, atque industriam per reductionem Ordinum religiosorum novis membris locupletare; ex altera autem parte eadem dupliciter subducimus, alendo nimiam domesticorum famulorum copiam.

Quid est, quod haec contradictionem sustentat in nostra legislatione? certum, inevitabile fatum, quod exigit, ut sapienter semper cogitemus, sed stulte agamus.

Indubitatum omnino est, naturam præcipere, ut illam solam agere sinamus; Illam intendere, ne simus solliciti, quomodo novi homines procreentur, sed, quomodo jam nati felices reddi possint.

Inventio politicorum calculorum peperit durum systema stabilis militiæ; hoc est monstrum, quod tandem se ipsum consumet.

Cur non vocantur bella inexorabiles Par-  
cæ? Hæc enim violente abbreviant vitam ho-  
minum, & onera tributorum augent. Evol-  
vantur Ephemerides Londinenses de 22 Fe-  
bruarii. Quam terribilem summam ibi bellum  
extorsit! Legamus :

Die 18. Curia inferior e gremio sui de-  
legit viros, qui ad propositionem Pittianam  
de redditibus Civitatis, & expensis delibera-  
bant.

In bellum navale hoc anno resolutæ sunt  
Libræ Sterlingicæ 14,646,630. Hæc summa  
superat sumtus anni præteriti libris 2,600,000;  
quæ differentia sequenti modo expendetur:  
1,500,000 Libræ in stipendia 20 millium  
nautarum recenter conductorum ad augen-  
dam nostram potentiam maritimam, resi-  
duum autem convertetur in casus fortuitos,  
& navium transportationem.

Assensum etiam est, ut exercitus 10 Mil-  
liones percipiat, huc non computando pe-  
grinum, & præsidarium militem. Restat  
adhuc deliberandum de 1,100,000 Libr. pro  
ultra militantibus. Item de extraordinariis  
impensis exercitus 3,660,000 Libr. Hibernia  
in bellicos sumtus confert 3,838,506 Libr.  
Universa summa æquat 18,616,897. Libr Sterl.

In rem tormentariam assignatæ sunt li-  
bræ: 4,846,994 ea tamen lege, ut Hibernia

pendat 600,000. Hæ impensæ excedunt anni superioris sumtus Libris 800,000.

Erogatio, quæ sub communi nomine: *Diversa servitia*, continetur, efficit 1,450,000 libr. Ad hanc summam contribuit Hibernia 650,000.

Omnes hæ summæ in unam additæ constituunt - - - - - 39,559,521 L.

Præterea expensæ in continente 5,000,000

Tota itaque summa facit - - 44,559,521.

Si hinc subducatur, quod Hibernia præstat,

Anglia solvit - - - - 39,156,419 L.

Accedit adhuc

1) Defectus vectigalis a polenta - 320,000 —

2) Debita Americanis solvenda - 414,000 —

3) Defectus supernatantis pecuniæ publicæ - - - - - 2,800,000 —

Universæ Angliæ erogationes 42,050,419. L.

Ex hac computatione manifestum est Angliam expendere in continente 5 milliones; Quomodo ergo possunt Galli affirmare, eam nullam habere vim in reliqua Europa? Ante aliquot hebdomadas Monitor memoriæ prodidit, Sveciam obtulisse Angliæ 20 milia armatorum erga præstanda subsidia, sed conventionem hanc fuisse irritam redditam a Rege Borussiae minitante, se secus Sveciam Pomeraniam ingressurum. Post hæc curavit Rex Sveciæ per suum negotiorum gestorem Dominum a Brinkmann Berolini de-

clarari : se qua summum Imperantem non teneri aliis Rectoribus rationes reddere de in- eundis fœderibus; et si ejus legiones pedem inferrent in suam provinciam, hostiliter esse excipiendas, unaque Cæsareas Russicas copias, secundum societatem armorum Gatschinæ 29. Octobris A. 1799. celebratam in auxilium evocandas.

Hic tractatus est nunc iterum renovatus & ad Pomeraniam extensus. Hoc sine videtur Russicus Cæsareus Generalis Magister excubiarum Dominus a Vinzigerode venisse Berolinum, ut hoc negotium absolvat, & Regis Sveciæ sententiam plena in luce col- locet.

---

### B I O G R A P H I A.

*Lachesis.* Filia noctis, & Erebi, una e numero Parcarum. Veteres sibi vitam sub imagine staminis repræsentabant, quod Clatho alligavit, Lachesis nebat, Atropos autem abscidit; hinc licet explicare, cur sint dictæ inexorabiles Parcæ, nemo enim ullis precibus potest vitæ perpetuitatem exorare. Lachesis pingitur, in scisso lapide sedens, & filum ducens duobus instructa colis, altero a fronte, a tergo altero, ad pedes autem ejus provoluta jacet facies personata.

---